

LVNÆ DIE 14 M. OCTOBRIS A. 2013

Pridie Idus Octobres a. MMXIII

I 7 6

M E L I S S A



3rd The Wedding. Austria gives her away: Meternich, the Austrian Priest of the Holy Alliance marries her; — clerk Castlereagh cries "Amen;" the Russian dances at her wedding, and John Bull pays the expenses. — End of the first Act.

FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

REDATRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / www.fundatiomelissa.org

Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P912128

XXX

ANNIS ANTE NASCEBATVR CIRCVLVS LATINVS BELGICVS

Anno 1983 Latinitas Viva Belgicam ingressa est. Eo enim tempore Dr P. Cælestis Eichenseer iam decem annos æstivo tempore in Germania instituebat seminaria Vivæ Latinitatis, quæ multos homines alliciebant. Filiæ meæ Diana et Corinna rem expertæ sunt anno 1976; a quo tempore amicitia magis magisque coniunctus sum cum Cæleste Eichenseer.

Cum iam seminaria in Magna Britannia, in Alsatia et in Italia facta essent, ei suasi ut idem in Belgica faceret, me ordinante. Locum idoneum ad litus inveni in oppidi Vestendæ ædibus feriendis idoneis, q.n. «Zon en Zee» (Sol et Mare).

Hoc primum seminarium Belgicum habitum est mense Augusto anni 1983; 34 fuerunt participes, inter quos, præter Germanos, 20 Belgæ, una Francogalla, unus Italus et unus Americanus septentrionalis. Eo tempore bonum commercium habebam cum præside et arcaria «Fœderationis magistrorum linguam Latinam et Græcam docentium»; in Fœderationis periodico seminarium Belgicum nuntiaverant et effectus fuit optimus; ipsæ seminarium participaverunt; ibi primum etiam apparuit Francisca Deraedt. Et grandævus professor Renatus Fohalle participare voluit, qui iam anno 1956, cum esset Decanus Facultatis Philosophiæ Litterarumque Universitatis Leodiensis, participaverat Avennionensem Conventum «Premier Congrès International pour le Latin Vivant» intitulatum. Interfuit quoque Italus Lambertus Pigini, domus editoriaræ E.L.I. conditor, qui periodicum Latinum, scholarum discipulis destinatum, *Iuvenis* inscriptum, edebat. Unus etiam venit ex America septentrionalis, Albinus Dobsevege, linguæ Latinæ professor et editor periodici c.t. *Hermes Americanus*.

Peracto seminario, tantus fuit participum entusiasmus, ut multi dolerent quod integrum annum esset exspectandum ut Latine iterum loquerentur. Sic voluntate eorum, qui tam diu exspectare nolebant, statutum est singulis mensibus convenire apud aliquem ex participibus; Francisca prima ceteros invitavit in habitationem suam Lovanii Novi sitam: Circulus Latinus Belgicus sua sponte erat natus!

Diu sessiones hoc modo habitæ sunt, sive Lovanii, sive Montibus, Hugardiæ, Marneffii, Bruxellis. Theodericus Sacré se Circulo adiunxit et usque ad tempus, quo professor academicus factus est, sessionum fuit particeps assiduus.

Postquam die 16 m. Decembris anno 1989 Bruxellis sollempniter inaugurata est Domus Latina, Circulus ibi stabilem sedem habuit; Circulus Belgicus tum vocatus est Circulus Bruxellensis.

Evenit aliquando, ut inexpectatum hospitem habe-

remus in Circulo. Anno enim 1993 Theodericus Sacré professori Terentio Tunberg, Americano Lexintoniano, qui unum annum in Universitate Lovaniensi degebat, suavit ut sessiones nostras participaret. Ille ex hoc experimento comperit, quantum Latina loquela institutionem Latinam iuvare posset. Cum in America multo maior sit libertas in docendo, in patria paulo post reditum instituere cœpit Conventicula Latina præcipue magistris destinata; inceptum magno successu comprobatum est. Sic per occasionem multos hospites extraneos in circulo nostro recepimus.

Decursu tamen annorum sodalium assiduitas minuebatur, ita ut aliquando Francisca egoque ceteros frustra exspectaverimus. Quæ cum ita essent, nuntia vi Circulum esse claudendum. His minis expergefacti sodales Circulum iterum frequentaverunt; statuimus tamen iam non singulis mensibus convenire, sed binis interpositis mensibus.

De primis participibus tres tantum adhuc interesse solent, Francisca egoque et Lucas Willemarck. Quarta se nobis coniunxit hac peculiari occasione, Iacina Verreet, olim editrix periodici scholaris c.t. *Nunc est gaudendum*. Novi sodales absentibus se substituerunt, inter quos nominandi sunt Stephanus Feye, Scholæ Novæ conditor, Carolina Thuysbaert eiusdem scholæ directrix et Wolfgangus Jenniges omnium fidelissimus.

Tam frequentes pervenimus ad vicesimum Circuli anniversarium, ut in cena hac occasione una sumpta amplius viginti fuerint convivæ.

Ad tricesimum anniversarium celebrandum quidem tantum fuimus, nonnullis fidelibus impeditis. Gaudemus quod inter participes erant unus Hispanus, munere fungens in ædibus Unionis Europææ, et unus Germanus, in Schola Europæa linguam Latinam docens; etiam hoc præcipue nobis boni augurii in futurum visum est, quod quattuor iuniores interfuerunt, tres alumni Universitatis Neolovaniensis et una puella Mediolanensis, quæ ad tempus nunc studet in Schola Nova. ☺

Gaius LICOPPE

DE CONVENTV ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ

– narrat *Francisca Deraedt* –

Vindobona nos exspectavisse visa est, ut autumnum iniret: cum enim duobus diebus ante sol splenderet æstivus, tertium decimum conventum Academiæ Latinitati Fovendæ excepit pluvia frigida.

Die Mercurii 18 m. Septembris, postquam Academiæ sodales annuam sessionem habuerunt primum præsidialem, dein generalem, hora 16:15 in aula theatra Academiæ Scientiarum Austriacæ sollemniter inauguratus est hornotinus conventus, præsidente Curtio Smolak professore Vindobonensi necnon Academiæ præside.

Festivam acroasin primum fecit Tuomo Pekkanen, ex-præside, «De carminibus suis», ipsa uxore versus suaviter sive legente sive etiam cantante. Carmina autem potissimum elegerat orator, quæ ad conventus argumentum pertinerent, id est plerumque carmina gratulatoria, et quidem lepidissima.

Argumentum enim conventus generale fuit «de laudibus». Quod tam late poterat intelligi, ut non solum de panegyricis Constantini laudibusve Domitiani ageretur, sed etiam, inter alia, de podagra laudanda, de Alexandro VII P.M., de Iohanne Sobieski rege Polonorum, de poesi hodierna, de Blondo Flavio Leonardoque Aretino, de Caralis panegyrico, de bono præceptore sive de Dialogis familiaribus Antonii Van Torre, de misolatinis, de litteris recentioribus, de Latinitate ordinato sustentanda, de lacubus, de Tibullo vitam rusticam laudante, de Phædro modo laudante modo reprehendente, de pietate Austriaca necnon, quidni, de se ipso.

Hæc omnia prolata sunt in splendido universitatis

ædificio, quod nos Belgæ facere non possumus quin comparemus cum Bruxellensi Palatio Iustitiæ, immani templo eodem ævo, id est sæculo undevicesimo, a Iosepho Poelaert exstructo. Sicut nostrum Palatium illis romanticis temporibus glorificatio voluit esse ipsius Iustitiæ, similiter Henricus von Ferstel Vindobonæ ita construxit studiorum universitatem, ut scientiæ excellentiam illustraret. Et verum est clara nomina hanc universitatem illustrasse: ibi enim aliquando sedebant Sigmundus Freud, Curtius Gödel, Iohannes Gregorius Mendel, Franciscus Antonius Mesmer, Carolus Popper, Ervinus Schrödinger, ut pauca tantum citem nomina.

Hoc ergo eruditionis templum intrans tibi videris admiratione quidem percussus, aliquatenus tamen perditus, cum tanta spatia inutilia totque scalæ nusquam ducentes vertiginem plane efficiant.

Hic locus non est, ut singula referamus. Generatim dicam multa audita esse docta, attractiva, admiranda. Multa, quæ studium plura legendi et inquirendi moverunt. Multæ, ut ita dicam, laudes laudandæ.

Inter quas una auditorum animos peculiariter commovit, eam dico, qua Aloisius Miraglia memoriam celebravit Davidis Morgan, viri tam docti quam humani, ab omnium amicitia præmature abrepti (de cuius obitu plura in *Melissa* 173 p. 15 et 174 p. 16).

Qui acroasin recitat in huiusmodi conventu, de scripto dicere solet ea quæ, diligenter præparata, sine hæsitantia sunt proferenda. Duo tantum oratores, et quidem iuvenes, vividius agere volentes verba palam fecerunt nulla nixi pagella: Iosephus Marcellino,



Universitatis Vindobonensis nobile ædificium.



Una cum Aloisio Miraglia: Barbara Dowlasz conventus curatrix, cui soli tota rei ordinatio debetur.

Pisanus, sine ulla mentis aut linguæ titubatione, æque facunde ac si patrio uteretur sermone, per semihoram auditores allocutus est «De Blondo Flavio et Leonardo Aretino», ac Georgius Čepelák, Pragensis, simili eloquentia exposuit «Laudes Ferdinandas sive de pietate Austriaca triumphante». Quæris, bone lector, rationem tanti miraculi? Facile: uterque eruditus est in Aloisii Miraglia Vivario Novo, mirabili quidem vivario in quo per integrum tempus nihil aliud umquam auditur, nisi lingua Latina. Si quis postea adhuc dubitat de effectu meræ «immersionis linguisticæ», quam dicunt, eum invitamus ut Romam petat rem propriis oculis propriisque auribus inspecturus.

In omni conventu, præsertim Vindobonensi, ut iam fiebat anno 1815, delectari etiam oportet. Primo die Iohannes Zimmerl, organista, et Victoria Zimmerl-Panagl, cantatrix, barocam Iesuitarum ecclesiam angelica musica ornaverunt. Quo perfecto concentu, relatoribus oblata est cena festiva in subterranea caupona vere Vindobonensi, *Zwölf-Apostelkeller* vocata. Locus plane singularis lætisque cenatoribus refertissimus: de cellarario in cellarium longa ambulatione descendis usque ad oecum tibi reservatum, ubi te expectant robusti cibi Austriaci in mensa dapifera dispositi. Pænultimo autem die omnibus participibus, qui erant amplius centum, præbita est similis mensa dapifera in pulchro viticularum vico *Neustift am Walde* vocato. Qua occasione nec defuerunt orationes nec musica Latina.

Solebant olim Academiæ conventus sollemni oratione concludi, qua vota imprimis enumerabantur; vota haud semper ad effectum adducta, vota tamen



In peristylo: pulchra statua nymphæ Castaliæ.

academicorum aliorumque latinistarum spes et proposita exprimentia. Quod non factum est hac occasione. Itaque, si propria vota hic liceat subiungere, equidem optaverim ut linguæ Latinæ studiosi, atque imprimis magistri munus suum aliter iam iam perdituri, Latinitatem curent omni modo vivificandam. Tot iam exstant subsidia, instituta, seminaria, circuli Latine loquentium, libri editi. Tot homines huic causæ dediti. Et si plures etiam participare volent aut audebunt, Latinitas tanto melius se habebit. Hoc est in votis. ☞



Theodericus Sacré «De laudibus Alexandri VII P.M.» tractans.



Inter cenam valedictoriam: oratio præsidis Curtii Smolak.

LEVIA QVOQVE LATINE CELEBRARI OPORTERE DE QVODAM CERTAMINE LATINO IN LAVDEM VINI

– scripsit Iosephus Marcellino –

Admodum mirum inceptum anno MMVIII in Italiae regione Pedimontana, Italorum Ministerio Publicae Instructionis patrocinante, ad effectum deductum est. Cum enim omnia ad tricesimum diem festum vino *Barberae* dicatum in oppido Castaniola (vulgo *Castagnole delle Lanze*) celebrandum rite disponerentur, Marcus Violaridi, praefectus eius oppidi idemque vir cum civiliter innutritus tum litteris eruditus, suadente Vincentio Ceretto cive Castaniolensi domesticarumque rerum gestarum studioso, illud consilii iniit, ut certamen indiceret cui nomen «Barbera domina vinorum» inderetur. Vnde factum est ut hoc vinum, quod ex uvis Pedemontanis efficitur, a quinquaginta circiter Latini sermonis cultoribus, ex diversis totius orbis terrarum plagis oriundis, laudibus Latine efferretur. Mulieres et viri docti, qui breviter *Barberae* encomia accurate perpendentes severe iudicaverunt,¹ Vindobonensi mulieri apprime doctae nomine Karin Zeleny, quippe quae non minus doctum quam elegans «De *Barberae* origine» carmen pandisset,² victoriae palam, praemium pecuniarium necnon iustam *Barberae* copiam meritissimo dederunt. Tum secundo praemio Iosephus Marcellino, qui *Barberam* ipsam loquentem solutis verbis induxit, tertio vero Joannes Vaccino, qui quomodo Bacchus *Barberam* cognovisset in prosa oratione narravit, donati sunt, quorum uterque praeter pecuniam capsam huius vini domum reportavit. Deinde oportet recordemur a certaminis iudicibus mentione dignos etiam habitos esse cum Claudium Piga ac Joannem Carolum Rossi, qui «De vino *Barbera*» dialogum scripserunt, tum Maximum Scorsone, qui carmen composuit cui titulus «Baccheia laus».³ Difficile quidem relatu quam iucunda fuerit illa dominica dies IV mensis Maii, cum in ipso Castaniolae centro lagenas inter et hilares sermones Bacchi liquor Latine celebraretur. Cum vero illas iuveniles nugas tunc temporis a nobis exaratas nondum foras dedissemus, satius duximus *Melissae* lectoribus nostram *Barberam* loquentem commendare. Non enim solum graviora digna sunt quae Latine tractentur! Si qua vero aspera minusque iucunda visa fuerint, ignoscatur cum ingenio tum aetati vinum laudibus extollentis!

ΔΙΟΝΥΣΟΥ ΕΓΚΩΜΙΟΝ
ID EST BARBERÆ LAVS
BARBERA LOQVITVR

Quemadmodum pluviam ventosque perpressus ad puellarum comas pulchrarum gregem festinans densa ex silva egrediebatur horrendus Ulysses, ut Nausicam magnanimi Alcinoi filiam supplex oraret, sic, cuncti

mortales, omnibus curis quibus quidem obruimini relictis ad me malorum omnium remedium eandemque vinorum reginam properate, ne vitae oblectamenta negligentes tantummodo gravibus gravemini officis. En media in mensa hic dulces inter potiones excellit nigri vini lagena ex laetis maturisque vinearum frugibus facti. Sum *Barbera* ex Pedemontana regione oriunda divinoque vitis inventore edita, qua nullum umquam Bacchi iucundiores liquorem fuisse omnis multitudo uno ore conclamat. Discumbatis mecum amici, quotquot estis, fulgentibusque poculis funditus exhaustis animos reficiatis vestros. Vos enim, dilectissimi iuvenes, vos huc accedatis, quandoquidem prodest *Barbera* tempore data animosque studiis parat. Et tu, advocate, ne eminus me scrutatus sis, quod non aqua siccam levabis sitim. Ad me, medice, ad me magno concursu accurre plenoque gutture sorbe optimumque potensque vinum. Vos quidem, lanii, scoparii et pomarii, vos alloquitur ipsa *Barbera*. Cur incerto titubantique pede gradus facitis ad vestram reginam versus, quae vestris aridis oribus libari cupit? Tandem aliquando enim vos, qui laboribus estis assueti, recreate vires racemiferumque Bacchum consalutate. Vos, callidae et garrulae, vos, amabiles et formosae mulieres, morosos maritos ex cenaculis in tabernam vinariam producite, quod sine Bromio geniali uvae conditore friget Venus. Tu, clarissime huius urbis praefecte, qui me effrenumque parentem lingua Latina concelebrari decrevistis, mirare hanc capacem lagenam, quae vino valde optabili est repleta. Tu, domine, qui ab epistulis es, omnes cados scrutatus evacuare incipias. Non lymphae enim sed vina hodiernum diem celebrant. At non bibaces ad me voco mortales, quod immodico vino cum forma perit tum membra corrumpuntur. Gaudeatis, fortunati senes, qui hanc generosae fertilisque uvae regionem incolitis, gaudeatis iuvenes prima lanugine genas sparsi, quod thyrsiger et laetificus pater hisce in agris suum praecipuum collocavit domicilium. Quare valete, plaudite cum *Barberae* vinorum omnium dominae tum vero Libero vitis satori meque faucibus haurite, grati hilaresque convivae.

Explicit feliciter *Barberae* declamatio. ☞

1. Opera enim elegantissima quidem sed praestitutam unius pagellae mensuram excedentia non praemiis indictis sed mentione tantum digna esse iudices duxerunt.

2. Carmen legi potest in hac pagina retiali:
<http://www.poeticum.at/chloridiscarmina.htm>

3. Hoc carmen legi potest in pagina retiali:
http://www.circuluslatinusinterretialis.co.uk/html/body_carmina.html

OCEANVS

– *scripsit Daniel Blanchard* –

Rutilat vastus oceanus sub sole splendenti mensis Augusti. Usque ad limen cæli panditur, quem agitat rara spuma candida. Colori puro ætheris respondet crystallum aquæ velut somniosa echo: milia lucis frusta nunc in vitreo pelago micant. Phœbus, ut Narcissus puer, in speculo capitur undarum. Fere nullus hodie flat ventus. Mare quiescit. Rumor eius submissus est, murmur infinitæ vocis. Halitus maris sine fine esse videtur, æquor autem lente respirat. Nemo in fluctu natat, at litus paucis avibus occupatur. Possent ex unda exire Tritones omnium inscii, et ad profundas domos reverti. Sic enim visa est terra primo die creationis divinæ.

Fenestræ late patent: nec possunt vastitatem oceani amplecti. Cortinæ æquoreo spiritu lente agitantur in luce meridiei. Lectus stratus, mensa, sedes, parvumque armarium in cubiculo sunt. Contignatio tapeti laneo tegitur. Fauces longæ sunt, quæ ad aliud cubiculum (illic solent amici recumbere), parvam bibliothecam, balneumque ducunt. Per scalas itur ad tabulatum inferius. Sub gressibus mite crepitat lignum axium scalarumque. Atrium duplex est in primo tabulato: ad dexteram cenanti patet, ubi parietes ligneis operibus ornantur. Super focum stat amplum speculum cuius margo aurea est. Ad sinistram autem est atrium musicum, totum Musis dicatum. In medio amplo spatio est antiquum clavichordium. Libri musici in magno armario ordinantur. Duæ tabulæ pictæ, effigies viri nobilis cuiusdam, et prospectus in Tiburis ruinas, in pariete quasi sine cura pendent. Inter duo atria sunt breves fauces, quæ ad ianuam domus hortumque producuntur.

Dominus huius domus, Michael, in atrio musico sedet, clavichordioque canit. Vir undequadraginta annos natus est, iunior tamen videtur esse. Rugæ in facie eius profundæ non sunt, immo glabra facies viridibus oculis magnisque prædita totum hominem, cum sit mediocris staturæ, exaltat. Manus tum agiles in clavili currunt, cum pigræ molliter claves blandiuntur. Cantu vibrat aer totus pulchro. Michael solus domi adest, induitur autem curata tunica, eleganti focali, et levi thoraci laneo, ut mos erat olim bene institutis Europæis viris. Obsolescit passim hic usus, quem servavit sibi Michael, amator pulchrarum formarum, elaboratorque rituum.

Talis autem non semper fuerat, qui quondam novitatis sectator fuit, et cultor insolitæ elegantiae. Solebat enim mores vestiendi sui ævi plus antecedere quam sequi. Magnam pecuniam in vestibus impendebat, et fere perdebat, quia haud diu vestimenta servabat, quæ emerat. Satis prosperæ erant ei res: fama celeriter crescebat, facile in schola musica sibi invenerat stipen-

dium, artem modorum componendorum docendo; abundabat discipulis, nam opera eius favore publico fruebantur. Sæpe ad eum veniebant diurnarii, qui opinionem eius audire cupiebant. Facile copioseque nova opera dabat, quæ a famosis orchestris gregibusque canebantur. Non deerant, qui eum detrectabant in actis diurnis: talibus tamen controversiis augetur fama. Crescebat numerus amicorum, et quasi fluctu benevolentium hominum ad novas victorias ferebatur.

Vesper inter libros et musicam transit. Cito venit nox. Michael, qui fessus fit, ad semihiantem fenestram accedit, eamque aperit. Luna candet nubibus circumdata, scintillasque spargit in pelagum, cuius planum corpus sopor tenet, fere immotum. Regularis fluctus, spiritus dormientis instar, levat aquas recipitque. In tenebris soli audiuntur accessus recessusque maris. Videtur luna æterna esse, dies fieri non posse. Rumor fluctuum remotus est, vix percipitur. Constans est. Provenit ex integra mole aquarum, ex profunda obscuritate, nec unquam desinit. Omnia, domus, terræ, homines, bestiae, omnia peribunt, antequam noctu taceat oceanus. Vigilat in silentio, sive venturis procelis occupatus, sive somnio gravatus miro. Semper vicinis suis adest. Si veniente nocte oculis latet, menti saltem adest. Mare sicut animus noctu movetur: sic matutino tempore res variæ in arena inveniuntur, inexpectatæ, nocturnis undis adlatæ, ex gurgitibus ortæ: mortuæ devoratæque arbores, animalia, lapidesve, quos clam evolvit ac dereliquit oceanus in litore, absque teste. Quiescit oceanus, æstuatque simul, humani cordis simulacrum, manet et fugit, detectus non apparet, nec celari valet. Hac hora eleganter lunæ radiis micat.

Michael mentis æstus noverat ipse: qui sensim honores consecutus, inter pares honoratus, fama, ne dicam claritate aliqua præditus, amavit plausum auditorum suscipere, voluitque eos sæpius audire. Cum iuvenis erat, artem suam voluptatis causa colebat. Ingenio fecundo opera valida pulchraque gignerat, quæ a magistris, amicis, primisque auditoribus laudata erant. Musici, auditores, primum rari, deinde frequentes, et diurnarii tandem post aliquot annos nova opera expectaverunt poposceruntque. Sic sine difficultate etiam magister creatus erat in schola nota, necnon canebantur opera eius ab optimis musicis.

Quid amplius cupere potest artifex, cuius opera a frequenti auditore excipiuntur, quem non lacerant invidi scriptores, qui tandem ex operibus suis stipendium facit? Artifices tamen interdum desipiunt, modi immemores, qui plura habere volunt quam fortuna concessit liberalis secundaque. Voluit fortasse Michael

talem gloriam adipisci, quali fruuntur plebei cantores, qui sine intermissione hilari vanoque spectaculo gesticulantur. Quid sibi voluit miser? Bonæ artes semper celantur, nec profanorum incuriæ revelantur. Nomen eorum, qui digne modos componunt, raro clarescit, nisi paucis. Quid curet industria plebs æsthetorum lucubrationes, Pieridumque subtiles ludos?

Dicitur Michael, qui consuetudinem iunxerat cum iuvene collega quodam, voluisse ab illo propter artem suam non solum magnus haberi, sed etiam diligi. Quam vanum est amicitiam splendore fama que emere! Iuvenis collega, nomine Alexander, diversa musica delectabatur, atque ea, quam profuso ingenio fundebat Michael, qui amicum blandiri sensim conatus, modos insueti generis statuit scribere, artem suam mutans ut pellem serpens; frustra autem fecit. Alexander, Alexander ille musicam eius spernebat, neque amicitia ferveri respondebat. Post nonnulla pessima opera, post monitiones collegarum, post feroces relationes in actis diurnis, Michael gradatim sterilis factus est musicus. Non iam potuit lineam ullam scribere. Ne notam quidem. Toto die ad clavichordium tacitus sedebat, impotens, animoque demisso. Auditor ad alios artifices immemor transiit. Sic actum est de fama Michaelis Niverni quondam noti musici intra anni spatium.

Ecce flant venti. Primum violento halitu undas premunt, avesque arcent, et cedunt. Cinereum mare tunc altius levatur, ac cum sinistro fragore decidit in saxis ripæ. Venti vero denuo flant, et augentur. Iam pluvia turbidam aquarum superficiem percutiunt. Sol iam non lucet; pallet, fugit. Æstuat nunc totus oceanus, furit, tonat, involvitur, in se ipso mergitur, cadit, spumat, rauca voce clamat, luget, vastat. Muros suos frangit, et velut barbarica acies limina transit. Lumen odit lugubris. Evanescunt sol, ripa, tellus, arbores, domus in procella. Tunc solum panditur mare: nam perierunt alia.

Illo anno, Michael accepit invitationem ab Francisco amico, ut veniret in Normandiam et illic vacationibus fruere mensis Novembris. Non solebat urbem linquere, nisi negotii concentuumve causa, illo tamen anno sensit quietem necessariam esse, qua de causa die sequenti ad amicum festinavit. Franciscus domum incolit iuxta litus humilem, sed spatiosam, cuius hortulus floribus abundare solet. Hospites arenosa semita de domo ad mare ducuntur. Litus tunc vacuum oculis amplectitur. Saxa, mare, ventus, et immensum cælum.

In domo maior pars spatii occupatur libris: Franciscus enim scriptor est. Sola poesi vixisset, si licuisset; acroases etiam in actis diurnis scribit. Seditarius vir, toto die cum libris versatur. Interdum

eos spectat. Bene ordinati sunt in thecis, teguntque omnes parietes atrii. Recentiores variis coloribus induti sunt, aut imaginibus ornati. Prædilecti immo sunt antiquissimi, qui manu scripti sunt in media ætate; vel a primis typographis Venetiis impressi. Quam insolitum est in libro quinti decimi sæculi oculos ponere! Litteræ rotundæ aut gothicæ inciduntur in charta robusta, sed vacillare videntur in lineis. Glossa sæpe scriptum circumdat minuitque, et totum spatium invadit paginarum. Manus pictoris cuiusdam ornamenta attulit, quæ recens ars imitari tunc nesciebat. Editiones sæculi sexti decimi, et usque ad sæculum undevicesimum, lepore ineffabili præditæ sunt. In præcordiis veterum codicum celantur scripta, quæ nostro ævo non iam vulgantur, quorum tamen lectio voluptatibus insolitis rarisque delectat. Sæpe in manu habet Franciscus carmen Santolii de hortis Versaliæ; vel Secundi Basia; vel odas Macrini. Unica editione splendent epigrammata Ducherii expolita. Quis adhuc novit Verini disticha, aut dialogis Luciani fruitur in optima versione divi Erasmi? Perduntur hodie, nisi in antiquis bibliothecis. Nonne sermo de cælestibus hierarchiis, qui in libro anonymo «Paratus» vocato invenitur, eruditione simplicitateque fulget? Estne melior cibus ei, qui haud longe a sanctuario beati Archangeli in periculo Maris habitat? Ubi tam excellat Latinitas, quam apud Erasmus? Nonne meræ delicia sunt Asinum aureum commentariis Beroaldi exornatum legere in parva excoltaque editione Basiliensi? Qui librarius aptius quam Iohannes Parvus Gaguini compendium de gestis Francorum vulgabit unquam? Non solum ædificaverat Franciscus Musarum templum, sed etiam sibi refugium.

Advenerat mensis November, cum pressa cohorte brumarum, pluvia, tempestatumque. Frigebat, rarescebantque radii solis, sed elementis quasi ignoto robore sentiebat Michael se restitutum iri. Parum loquebatur comes Franciscus, qui tacitus aderat legens, scribensve. Michael quotidie ambulabat iuxta mare. Autumni tempore non ridet oceanus, immo saxeus, vel plumbeus videtur esse. Cana lux de turbato vertice decidit, undæ graviores sunt. Moles aquosæ surgunt mugiantque fragore hostili. Rupes ab undis haud multum differunt. Plutonis magni imperii imaginem præbent fluctus rapaces. Recessus maris antra nigra revelare videtur, quæ arcana operit accessus spumans. Non autem omni hora est mare procellosum, interdum fit quies silentiumque. Radii nubes lacerant et speculum deforme percutiunt – longinqua incendia – favillæ tunc scintillant fallaces, quas circa serpunt remotæ naves. Michael spectaculo prætereuntium navium delectaba-

tur. Binocularibus eas per horas scrutabatur ex fenestra cubiculi in primo domus tabulato, novamque intimam lætitiā sic captabat post dies tristes.

Illis diebus concepit mens eius novum consilium: statuit domicilium mutare. Urbem fugere. In alia schola docere. Domi se recipere. Novos modos componere. Domum invenire. Quæ cum Francisco aperuit, certior factus est vicinam domum dominis iam aliquot mensibus vacare. Quam emit, ac mense Ianuario exeunte illic res suas lætus posuit.

*Musis amicus, tristitiā et metus
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis, quis sub arcto
Rex gelido metuatur ora
Quid Tiridatem terreat, unice
secutus...*


Perpetuo maris motu prorsus fertur tempus. Accessit ver gratum, accessit et ætas. Difficile non fuit Michaeli novam vitam ingredi. Libuit et denuo discipulos docere, placuit simul solitariam vitam degere, vacuis horis frui, immobilitate mergi. Sentiebat in se novas voluptates oriri: carmina, quæ modis musicis ornare solebat, numquam antea bene legerat, nunc in silentio versus lente ac plena voce declamabat insolito fervore accensus. Vidit plantas circa se, et animalia, aves, insecta, vitam propriam habere, suo tempore venire, mutari, et tabescere. Probavit novos cibos illos, quæ non sunt mera alimenta, sed dona terræ, quæ non quovis mense dantur, nec sine labore metuntur. Didicit iuxta mare vivere, iras tolerare eius, et tristitias, atque clamorosa gaudia. Didicit musicam novo modo audire; non solum musicam præteritorum temporum, sed etiam musicam propriam cautis examinavit novisque auribus. Voluit tandem in charta sonos servare, quos mens in quiete denuo fundebat.

Post quietam noctem redit lux. Michael hora septima matutina expergiscere solet, sicut est mos lucubrantium. Breviter spectat paginas elaboratis neumis¹ impletas quæ in clavichordio iacent. Subridet. Dies serenus est. It ad fenestras, ac manu dilucidas levesque cortinas repellit. Serenat. Mare splendet sub sole. Inter mites undas natat Franciscus. Vicissim celatur et apparet in spumanti fluctu. Videtur Tritonis curru vehi. Candidi humeri eius sub sole iuveni lucent. Urinatur repente sub aqua, undas manu premit, at denuo apparet. Non aliter antiqui arte finxerant Neptuni comites. Visione satiatur Michael, ut æternitatis scrupulo. Post aliquot minutas, Franciscus ex aqua exit. Ambulat in arena, nudus, sine festinatione, linteum capit et corpus

fricat, vestimenta que recipit. Hac hora, inscius, solo Michael teste, immortalium pulchritudine indutus est.

Litus nunc desolatum est. Franciscus proximum librum perscribit emendatque in grapheo suo. In arena ludunt parvæ aves marinæ larique. Sol amplam crystallinam planitiem igne miro irradiat. Lumen velut omnium rerum clamor est. Clangor tubarum, qui desinere non potest. Tibiarum crepitus in micantibus undis percipiuntur. Nervos arcu fricant accessus recessusque maris. Harmonia magna oritur audienti spectantique, in qua humana vox velut in concentu mergitur. Verba muta sunt, et resonant in diurnitate oceani. Omnes simul adsunt colores in symphonia mixti, color puri verticis, lucidum vitrum lympharum, flavus nigerque pallor saxorum atque alba navium vela. Placidi zephyri sistro levi canunt. Crepitat lux ut ferreum organum, frangitur in longo tintinnabulo, cuius æs in aquis reptat micatque. Sine fine sub sole splendenti mensis Augusti rutilat vastus oceanus. ☩

1. Neuma, æ, f.: ex Græco sermone πνεῦμα, id est «spiritus». Scripturæ musicæ signa designat ab inventione eius sæculo IX°.



IN HOC SIGNO VINCES

– scripsit Gaius Licoppe –

Quis hanc sententiam non audivit! Pauciores tamen sciunt eam originem habere in libro *Ecclesiastica historia* inscripto, cuius auctor est Eusebius (Eusebius Paphilus), Cæsariensis eo dictus, quod episcopus erat Cæsareæ Palestinæ.

Eusebius semper vixit in Oriente, solum Græce scripsit et Constantinum primum convenit anno 325 occasione concilii Nicæensis.

Non omnes partes *Ecclesiasticæ historiæ* eodem tempore editæ sunt; liber IX, quo agitur de prælio Constantini contra Maxentium Romæ anno 312 commissio, editus est tribus annis post prælium; ibi leguntur hæc:

«Cum igitur anxius et multa secum de imminenti belli necessitate pervolvens iter ageret atque ad cælum sæpius oculos elevaret et inde sibi divinum deprecaretur auxilium, videt per soporem ad Orientis partem in cælo signum crucis igneo fulgore rutilare. Cumque tanto visu fuisset exterritus ac novo perturbaretur aspectu, adstare sibi videt angelos dicentes: ἐν τούτῳ νίκα. Exin signum quod in cælo sibi fuerat demonstratum in militaria vexilla transformat ac labarum, quem dicunt, in speciem dominicæ crucis exaptat.»

Inspiciamus hoc citatum: scribit auctor «per soporem»; non est ergo visio, sed somnium; «iter ageret»: non ergo pridie prælii, sed in itinere Romano; «signum crucis»: agitur de simplici cruce; ἐν τούτῳ νίκα: est sententia Græca in textu originali. Constantinus, qui Latine loquitur, in somnio sententiam Græcam certe non audivit.

Humanista Beatus Rhenanus, qui sexto decimo sæculo *Ecclesiasticam historiam* in Latinum vertit, hanc sententiam recte reddit: «In hoc vince»; νίκα enim est modus imperativus, non indicativus futurus; ex hac sententia postea facta est sententia corrupta «In hoc signo vinces». Quod autem pertinet ad «labarum», hoc vocabulum, cuius etymologia est ignota, hic primum apparet; auctor videtur id non bene novisse, cum dicat



Imago labari in Constantini nummo anni 337; deest corona, ut in plerisque labari imaginibus (Wikipedia).

«in speciem dominicæ crucis»; re vera labarum non ante prælium confectum est, sed postea.

Alter scriptor christianus, qui de prælio ad pontem Mulvium etiam tribus annis post tractavit, vocatur Lactantius (Lucius Cæcilis Firmianus, Lactantius dictus); munere rhetoris fungebatur etiam in Oriente, Nicomediæ, ubi, cum christianus factus esset, munus perdidit. Postquam Maxentius a Constantino victus est, idem Augustam Treverorum vocatus est, ut præceptor fieret filii Crispi.

In eius libro *De mortibus persecutorum* anno 315 edito leguntur hæc: «Commonitus est in quiete Constantinus ut cæleste signum dei notaret in scutis atque ita prælium committeret. Facit ut iussus est et transversa X littera, summo capite circumflexo, Christum in scutis notat. Quo signo armatus exercitus capit ferrum (...) Manus dei supererat aciei.»



Inspiciamus hoc citatum: «in quiete»: hic etiam non agitur de visione, sed de somnio; «in scutis»: Lactantius signum crucis ponit in scutis, Eusebius in vexillo; «transversa X littera, summo capite circumflexo»: littera P litteræ X superposita format signum chresma vocatum, quod tempore prælii ad pontem Mulvium nullam significationem religiosam habet et, cum sint litteræ Græcæ, a Constantini militibus certe non intellegitur; est tantum signum, quo significatur «utile, bonum», sæpe in librorum margine adhibitum. Chresma postea tantum factum est chrisma e nomine Christi et significationem religiosam accepit.

Narrationes ergo duorum scriptorum christianorum inter se non congruunt.

Videamus nunc, quid narraverint in quinque panegyricis¹ rhetores Galli, quorum unus propius ab evento scripsit. Etsi hoc laudandi genus adulatione et amplificatione solet corrumpi, panegyrici tamen expriment Constantini opiniones; e quibus percipimus et constantiam et mutationes eius mentis.

Primus panegyricus a rhetore nominis ignoti anno 307 dicitur Maximiano et Constantino. Recordari oportet imperatorem Diocletianum novum regimen instituisse, Tetrarchiam vocatum, quod novis titulis ornavit: ipse primus Augustus est, Maximianus alter Augustus; eis auxiliantur duo Cæsares, Flavius Constantius, Constantini pater, et Caius Galerius. Insuper, ad augendam Augustorum legitimitatem, Diocletianus filietatem divinam proclamat; ipse est

Iovius, Maximianus Herculi. Quattuor capita administrativa creantur a limitibus propiora quam Roma: Nicomedia, Mediolanum, Antiochia et Augusta Treverorum.

Constantius Chlorus contra Persas pugnabat in Asia Minore, cum Helenam convenit et secum duxit; quæ, humilissimo loco nata, videtur fuisse stabularia; circa annum 272 peperit Constantinum in Mesia (hodie Serbia).

Cum creatur Tetrarchia (293), Constantius Chlorus fit Cæsar Augusti Maximiani; cogitur Maximiani filiam Theodoram ducere uxorem et Helenam, Constantini matrem, relinquere. Mittitur in Galliam ad subdendum usurpatorem Carausium, qui secessionem fecit et Galliam septentrionalem Britanniamque regit.

Anno 305 Diocletianus se Imperio abdicat atque idem facere cogit alterum Augustum Maximianum. Secundum Tetrarchiæ regulam, Cæsares Galerius et Constantius Chlorus fiunt Augusti ac duo novi Cæsares eliguntur, Severus et Maximinus Daia.

Valde decepti sunt Constantinus, Constantii filius, et Maxentius, Maximiani filius, qui sperabant se futuros esse Cæsares; hoc tamen noluit Diocletianus, qui ad pristinos Romanorum mores redire statuit et electionem præfert hereditati.

Constantinus tunc Nicomediæ versatur in aula Galerii, ubi linguam Græcam discit. Quamquam pater compluries petivit, ut ad se in Galliam mitteretur, Galerius eum retinet in aula quasi obsidem, quod eius virtus et imperandi cupiditas iam sunt bene notæ.

Constantinus vero aulam relinquit clanculum et audacter; in fuga, ne quis consequi possit, mutationum reliquos equos interfici iubet. Gesoriaci (*Boulogne*) convenit patrem Constantium Chlorum, qui classem parat ut exercitum exponat in Britanniam.

Nulla egregia sors nisi favente Fortuna. Quæ Constantino favet, cum eius pater Flavius Constantius, quocum in Britannia contra Pictos pugnat, anno 306 inopinanter obit. Tum exercitus Constantinum, triginta circiter tantum annos natum, patris successorem et Imperatorem acclamat.

Quibus acceptis nuntiis, Galerius, legitimus Augustus, etsi valde iratus, tamen Constantinum, iam nimis metuendum, non audet dicere rebellem; ei potius titulum Cæsaris concedit ac Cæsarem Severum nominat alterum Augustum.

Maximianus vero abdicationem ægre fert et suum Augusti statum redintegrare conatur, primum frustra Romæ apud filium Maxentium, qui se quoque Augustum proclamavit, postea Augustæ Treverorum, ubi sedet Constantinus, qui eum benigne accipit, ut

patet ex rhetoris verbis: «Maximiane, velis nolis semper Auguste, et Constantine, oriens imperator; mihi tamen certum est ea præcipue isto sermone complecti quæ sunt huius propria lætitiæ, qua tibi Cæsari additum nomen imperatoris et istarum cælestium nuptiarum festa celebrantur.»

Constantinus enim uxorem duxit Faustam, Maximiani filiam, 15 tantum annos natam. Quid acciderit Minervinæ, quacum filium Crispum iam habet, nescitur; sive repudiata est sive iam mortua.

Rhetor pergit dicens: «Tu quoque, licet optime scias, tamen audias quanti te principis ornet affinitas; hic est, qui nomen, quod accepit a deo principe generis sui, dedit vobis, qui se progeniem esse Herculis non adulationibus fabulosis, sed æquatis virtutibus comprobavit.»

Constantinus ergo ab Augusto Maximiano factus est Augustus eiusque hereditatem Herculiam accepit. Tetrarchiæ regulæ illuduntur.

Pace Romana in Britannia restituta, Constantinus sedem collocat Augustæ Treverorum, ubi magnifica ædificia curat exstruenda.

Interea Maxentius, Maximiani filius, cum audisset Constantinum proclamatum esse Augustum, idem facere voluit; prætorianis pecunia conciliatis, Roma potitus est, ubi se quoque Augustum proclamavit.

Galerius, legitimus Augustus, valde irascitur, cum comperit Constantinum et Maxentium contra Tetrarchiæ regulam titulum Augusti usurpavisse. Constantinum tamen timet, sed contra Maxentium proclamat hostem Imperii.

Maximianus, quamvis in aulam Augustæ Treverorum benigne receptus, tamen totam potestatem sibi adrogare cupit et, dum Constantinus Francos et Alamanos ultra Rhenum domat, conatur milites seducere; pauci tamen alliciuntur. Constantinus monitus occurrit; Maximianus fugit et se Massiliam confert, ubi victus perit, sive a se ipso exanimatus sive trucidatus.

In panegyrico anno 310 dicto rhetor Gallus, nominis etiam ignoti, solum Constantinum alloquitur ac de Maximiano dicit hæc:

«[Maximianus] quem tu ab Urbe pulsum, ab Italia fugatum, tuis provinciis, tuis copiis, tuo palatio recepisti. Quid, oro, sibi voluit? Quid optavit? vel quid amplius adipisceretur his quæ a te fuerat consecutus?»

Infami Maximiano mortuo, Constantinus eius hereditatem Herculiam repudiat sibi que novam hereditatem invenit, ut legitur in panegyrico: «ab illo enim divo Claudio manat in te avita cognatio».

Agitur de Claudio II, Gothico dicto, quod, 40 circiter annis ante, Alamanos profligaverat; quamquam

duos tantum annos regnavit, divus factus est; Constantinus autumat se originem ab eo trahere.

Contra Diocletiani opinionem, Constantinus præfert successionem hereditariam, ut apparet in panegyrico, in quo narratur portentosa visio Constantii, Constantini patris, quam paulo ante mortem habuisse dicitur. Rhetor sic narrat:

«Vere enim profecto illi superum templa patuerunt receptusque est consessu cælitum, Iove ipso dexteram porrigente. Quin immo, statim sententiam rogatus cui imperium decerneret, dixit, ut decebat, Constantinum Pium: manifeste enim sententia patris electus es imperator.»

Visionibus in narrationibus uti non timebant auctores antiqui, neque pagani, neque postea christiani.

Aliud exemplum: post Maximianum Massiliæ necatum, in reditu Augustam Treverorum, Constantinus iter deflectit ad præstans Andesinæ² sanctuarium visendum, quod dicatum est Apollini, Gallo deo Granno assimilato.

De hac visitatione rhetor dicit hæc: «Vidisti enim, Constantine, Apollinem tuum, comitante Victoria, coronas tibi laureas offerentem».

Sola enim victoria maximæ curæ est Constantino, cui complures æmuli erunt vincendi, antequam solus fiat totius Imperii princeps. Ab eo tempore Constantinus colit Apollinem, Soli invicto assimilatum, cuius imago in nummis fingitur usque ad annum 325.

Maxentius sex annos sedem habet Romæ. Intra hoc breve tempus magna opera facit: mœnia validiora altioraque curat facienda; maximam basilicam extruit, quam postea Constantinus transformabit; templa restaurat, præcipue templum Veneris et Romæ incendio deletum.

Christianis non est infestus; ab auctoribus tamen christianis eo dicitur pessimus fuisse, quod eis solus Constantinus est extollendus.

Galerius, cum Maxentium proclamaverit hostem publicum, anno 307 mittit Augustum Severum qui eum repellat. At ille nihil facere potest contra Urbis mœnia et in recessu necatur. Quare eodem anno ipse Galerius exercitum Romam ducit, neque ipse Urbem expugnare valet.

Constantinus, qui pacem Romanam in Britannia et Gallia restituit barbarosque ultra Rhenum profligavit, in animo non habet in his provinciis manere inclusus.

Primus aggrediendus est Maxentius, qui Italiam Africamque regit et cui omnia vitia tribuuntur. At... sufficitne Apollinis auxilium ad Maxentium vincendum, qui Romæ maiores deos colit in præstantissimis

templis? Quem potentiolem deum sibi eligere potest Constantinus? Qui, re vera, non est christianus. Patris Constantii instar, qui primum tantum edictum persecutionis ad effectum duxit, et quidem molliter, Constantinus neminem persequitur. Sicut pater et multi homines illius temporis inclinatur ad monolatriam, ut patet e verbis, quibus panegyrici rhetor divinitatem alloquitur:

«Quamobrem te, summe rerum sator, cuius tot nomina sunt quot gentium linguas esse voluisti (quem enim te ipse dici velis, scire non possumus), sive tute quædam vis mensque divina es, quæ toto infusa mundo omnibus miscearis elementis et sine ullo extrinsecus accedente vigoris impulsu per te ipsa movearis, sive aliqua supra omne cælum potestas es quæ hoc opus tuum ex altiore naturæ arce despicias: te, inquam, oramus et quæsumus ut hunc in omnia sæcula principem serves».

Nonne pulchra precatio, quæ inter animismum et monolatriam hæsitat?

Galerius contra perrexit christianos exquirere et ferociter cruciare, sed incassum; quare anno 311, paulo ante mortem, statuit finem persecutionis facere et Edicto Serdicæ (hodie *Sofia*), cui consociat Constantinum, Licinium et Maximinum, christianis concedit cultus libertatem.

Constantinus videtur putavisse deum, qui tantam vim christianis inspiraret, ut Imperii regimen superare valerent, sibi optimo fore auxilio in bello contra Maxentium. Patet tamen eum auxilium petivisse tacite.

Uter bellum indixerit, Constantinus an Maxentius, incertum est. Constantinus parvum exercitum trans Alpes in Italiam septentrionalem celerrime ducit, ubi Maxentii legatos statim compluries vincit.

Hoc bellum narratur in panegyrico, quem rhetor nominis ignoti anno 313 «Constantino Augusto» dicit, postquam ille superiore anno Maxentium Romæ devicit necavitque:

«Vix enim quarta parte exercitus contra centum milia armatorum hostium Alpes transgressus es...»

«Recuperata omni cis Padum Italia, ipsa iam ad te supplices manus Roma tendebat.»

«Itaque unum iam illud timebatur ne ille conterritus his viribus, graviter afflictus et in artum redactus boni consulere et debitas rei publicæ pœnas obsidione differret (...) Sed divina mens et ipsius urbis æterna maiestas nefario homini eripere consilium, ut ex inveterato illo torpore ac fœdissimis latebris subito prorumperet.»

«At quomodo instruxit aciem tot annorum vernula purpuratus? Ita prorsus ne quis evadere, ne quis, ut

fit, loco motus referre gradum et instaurare proelium posset, cum a fronte armis, a tergo Tiberi amne premeretur.»

«Ad primum igitur aspectum maiestatis tuæ primumque impetum totius tui victoris exercitus hostes territi fugatique et angustiis Mulvii pontis exclusi, (...) omnes in fluvium abiere præcipites.»

«Ipsam etiam illum cum equo et armis insignibus frustra conatum per abrupta ripæ ulterioris evadere idem Tiberis correptum gurgite devoravit.»

Cur Maxentius pugnam obsidioni prætulit, cum aliter fecisset occasione impetuum Severi et Galerii? Eo verisimiliter, quod Constantinus classem ante Ostiam misit, quæ impediret ne annona ex Africa importaretur, id quod neque fecerat Severus, neque Galerius; Roma autem sine Africæ frumento obsidionem diu sustinere non valet.

Maxentius ad pontem Mulvium anno 312 facile vincitur et necatur. De tanta victoria rhetor interrogat:

«Quisnam te deus, quæ tam præsens hortata est maiestas ut, omnibus fere tuis comitibus et ducibus non solum tacite mussantibus, sed etiam aperte timentibus, contra consilia hominum, contra haruspicum monita ipse per temet liberandæ Urbis tempus venisse sentires? Habes profecto aliquod cum illa mente divina, Constantine, secretum, quæ, delegata nostris diis minoribus cura, uni se tibi dignatur ostendere.»

Post victoriam ad pontem Mulvium, Constantinus persuasum habet se verum deum invenisse atque inde christianis favere incipit, caute tamen, nam paulo ante habebantur ut hostes reipublicæ; insuper paucissimi tunc sunt in Imperio Romano.

Constantinus anno 313 Licinium, qui post Galerii mortem Orientem regit, Mediolani convenit, ubi una Serdicæ Edictum tolerantiae litteris circummissis confirmant iubentque bona confiscata reddi christianis; falso ergo hæ litteræ vocantur Edictum Constantini.

Constantinus tamen non deponit insignia traditæ religionis. Nam in arcu triumphali Romæ anno 315 inaugurato finguntur Sol Invictus et ipse a Victoria coronatus. In brevi Senatus dedicatione («Quod instinctu divinitatis rempublicam ultus es») nomen Christi non apparet et in anaglyptis, quibus proelium narratur, nihil de quovis signo in scutis neque de labaro.

Ultimus Gallicus panegyricus a Burdigalensi rhetore, Nazario nomine, Constantino Romæ dictus est anno 321, cum quintus decimus annus eius regni celebraretur. Tunc, decem fere annis post proelium ad pontem Mulvium, rhetor novam affert portentosam

visionem:

«In ore denique est omnium Galliarum exercitus visos, qui se divinitus missos præ se ferebant et quamvis cælestia sub oculos hominum venire non soleant (...) Flagrabant verendum nescio quid umbones corusci et cælestium armorum lux terribilis ardebat: tales enim venerant ut tui crederentur; hæc ipsorum sermocinatio, hoc inter audientes serebant: 'Constantinum petimus, Constantino imus auxilio' (...) Ducebat hos, credo, Constantius pater.»

Paganus scriptor incredibiles fabulas inserere non timet: huiusmodi miracula non sunt necessaria, ut ratio reddatur de Constantini victoria. Ille enim belli multo peritior erat, quam Maxentius eiusque milites multo magis exerciti; verum miraculum in eo est, quod Maxentius suas copias extra muros imprudenter exposuit, cum intra muros manens iam valuisset et Severum et Galerium repellere. Hoc optime dicitur in panegyrico his verbis:

«Ad victoriam facilis ascensus, quod illum semper exedendæ urbis visceribus inhærentem ex assuetis lateribus vis divinitatis excussit.»

Constantinus, pro certo habens se verum deum invenisse, putat christianorum religionem optimum vinculum fore omnium Imperii populorum. Itaque eius diffusioni magis magisque favet. Num effectus fuerit par spei, hæc est alia historia, quam narro in libro ineunte hoc anno edito, c.t. *De Romano imperio orientali*. ❧

1. *XII Panegyrici Latini*, recensuit Æmilii Baehrens, Lipsiæ in ædibus B.G. Teubneri, 1874.

2. Andesina sita est in Vosego (*Vosges*), ubi nunc est parvum oppidum *Grand*. Certe ibi fuit præstans sanctuarium; nam excavata sunt vestigia maximi amphitheatri, quod numeratur inter decem maxima totius Imperii, et magnum opus musivum, quod erat in solo magnæ basilicæ secundo sæculo exstructæ.

DE IMMENSO CÆLO (VIII)

(1801-1937)

- scripsit Gaius Licoppe -

Ineunte undevicesimo sæculo de lapidibus meteoris nihil certi scitur. Hypothesis Simonis de Laplace plerumque accipitur: eos de Luna cadere; quare vocantur «lapides lunares». Anno 1803 Iohannes Baptista Biot, Francogallus physicus astronomusque, a regimine mittitur ad vicum *L'Aigle*, ubi nuper cecidit lapis meteorus. Biot colligit testimonia et lapidis analysin chemicam curat faciendam, sed nullam certam conclusionem affert.

Paulatim tamen doctorum sententia mutatur, cum nonnulli crateres in Terra agnoscantur, ut vestigium ictus alicuius corporis cælestis, quod e Luna vix potest oriri.

Prima asterois anno 1801 in cælo detegitur a Patre Iosepho Piazzi, præfecto observatorii Panormitani; eam vocat Cererem. Paulo post, duæveniuntur, Pallas anno 1802 et Vesta anno 1807 ab Henrico Vellelmo Olbers, Germano medico et astronomiæ amatore.

Computatione demonstratum est ea corpora moveri inter planetas Martem et Iovem. Semper plura deteguntur, quæ habentur ut minores planetæ, constantes sive a rupibus sive a metallis sive a glacie; eorum magnitudo comprehenditur inter nonnulla dena metra et complura chiliometra. Nimis tamen parva sunt, quam ut planetis similia diu habeantur; quare iam anno 1802 Vellelmus Herschel suadet, ut hæc corpora vocentur «asteroides».

Decursu temporum demonstratur asteriodes innumerabiles esse ac pertinere ad «coronam asteroidum», quæ nunc habetur ut reliquum primitivi Systematis solaris.




Asterois Ida (Wikipedia)

Sunt etiam asteroides extra coronam vagantes, quæ possunt Terram aliquando collidere magno hominum detrimento; quare instrumenta automatica eas nunc continuo speculantur.

Maximum telescopium undevicesimi sæculi inter

annos 1843 et 1845, in suo Hibernio prædio, exstruit Vellelmus Parsons, tertius comes de Rosse, propriis sumptibus; hoc instrumentum vocatur «Leviathan de Parsonstown».



Léviathan de Parsonstown (Wikipedia)

Telescopii tubus longus est 17 metra; diametrum speculi est 183 centimetra; usque iniens vicesimum sæculum manebit maximum telescopium in orbe terrarum. Eius speculum ex ære factum pondus habet amplius 3.000 chiliogrammorum; est miraculum conflaturæ, cum tunc temporis sola turfa¹ in promptu sit ad metalla conflanda. Cum humida Hiberniæ tempestate æs celeriter hebetetur, duo specula conficiuntur, quæ singulis semiannis commutantur. Cum insuper in Hibernia cælum infeliciter parum propitium sit observationibus astronomicis, eæ sexaginta circiter noctibus tantum fieri possunt. Tamen exitus est eximius; corpora cælestia multo accuratius observantur; inter alia, structura spiralis nonnullarum nebulosarum demonstrari potest.

Undevicesimum sæculum scatet inventis; eorum singula præcedentium effectus amplificant; sic fit ut scientiarum campus et usus magis magisque augeatur usque ad nostra tempora.

Inter hæc inventa, unum maximi momenti certe est photographia. Locus hic non est photographiæ longos progressus a camera obscura usque ad diversa instrumenta photographica narrare; satis est memorare primam stabilem imaginem lucis effectum anno 1837 obtentam esse a Francogallo Ludovico Daguerre; ab anno 1839 usus photographiæ late diffunditur in mundum.

Astronomi non longam moram faciunt, quominus photographiam adhibeant.

Iam anno 1845 Leo Foucault et Hippolytus Fizeau, Francogalli, photographema, tunc «daguerreotype» vocatum, Solis faciunt, idemque primum photographe-

ma astronomicum.

Villelmus Cranch Bond, Americanus, anno 1850 photographema stellæ c.n. Vega facit et anno 1857 sequitur primum Lunæ photographema. Photographia ad totius cæli explorationem extenditur tanto cum fructu, ut circa annum 1885 eius imagines fixæ fiant accuratiores quam directæ observationes in maximo telescopio Leviathan.

Idem Leo Foucault anno 1851 publice facit clarum experimentum penduli: de summa parte interioris Parisini tholi Pantheonis, suspendit globum grave, cui datur initialis oscillatio; decursu horarum observatur planum, in quo movetur pendulum, in gyrum verti. Hoc experimento demonstratur Terræ rotatio: planum penduli re vera immobile manet, sed sub eo solum vertitur cum Terra.

Anno 1860 Norman Lockyer, Anglus, in Solis spectro primus detegit lineolas ignoti levisque elementi, quod vocat «helium»; eas etiam anno 1886 detegit Iulius Janssen, sed non ante annum 1890 confirmatur helium, in Terra nondum inventum, re vera exstare.

Photographia multum quoque confert spectrorum inspectioni. Henricus Draper, Americanus medicus amatorque astronomiæ, anno 1872 primus photographat stellæ spectrum, scilicet stellæ Vega nomine; sic nascitur spectrographia, qua accuratius apparent spectri tenues lineolæ.

Multa inventa explicantur vel etiam inducuntur scientia mathematica, quæ continuos quoque progressus facit. Optimum exemplum præbetur ab Urbano Le Verrier, Francogallo mathematico et astronomo, mechanicam cælestem docente. Planeta Uranus, a Vellelmo Herschel anno 1781 detectus, habet orbitam enormem; huius enormitatis causa videtur esse quidam planeta incognitus. Anno 1844 Le Verrier computatione definiendam suscipit massam, orbitam et præsentem positionem suppositi planetæ. Anno 1846 exitum sui laboris exponit Francogallicæ Scientiarum Academiæ. Res mira, eodem anno Iohannes Galle, Germanus astronomus, hunc planetam observat, quo facto conclusiones mathematicas confirmat; ei nomen datur Neptunus.

Finis undevicesimi sæculi signatur magno incepto photographico. Ernestus Mouchez, classis Francogallicæ admiralis² necnon astronomus, cum rector Observatorii Parisiensis factus sit, suadet ut conficiatur Cæli mappa photographica. Quod Francogallia sola suscipere non potest, cum photographemata facienda sint in omnibus mundi partibus. Est ingens opus, ad quod perficiendum cooperatio complurium observatoriorum doctorumque necessaria est. De hoc proposito tractatur in tribus conventibus, in Observatorio Parisiensi insti-

tutis annis 1887, 1889 et 1891, sed tam celeres sunt technicæ progressus, ut, antequam inceptum efficiatur, obsoletum iam habeatur.

Sæculum vicesimum, incredibilibus inventis ferax, incohatur nuntio inexpectato. Maximilianus enim Planck, Germanus physicus, exeunte anno 1900 in Physicæ Societate Berolinensi singulare inventum patefacit: energia non est continua, sed constat ex minimis quantitibus, quibus nomen dat «quantum».

Hoc invento nitens, Albertus Einstein, physicus initio Germanus, postea Helvetius Americanusque factus, anno 1905 valet diversas opiniones de natura lucis componere. Cum alii monstraverint eam ex undis, alii ex corpusculis, constare, Einstein demonstrat lucem se gerere cum ut unda, tum ut fluxus particularum, quibus nomen dat «photonum».

Anno 1905 habetur ut «annus mirabilis» Alberti Einstein propter complures magnas symbolas divulgatas. In prima, Newtoni physicæ postulata infirmat: non exstant spatium et tempus absolutum, non exstat inter sidera æther, qui necessarius habetur ad vehendas lucis undas, sicut aqua vehit undas vel aer undas sonoras. Tempus et spatium sunt relativa, unde nomen theoriæ Relativitatis restrictæ et anno 1916 Relativitatis generalis.

In ultima symbola eiusdem anni Albertus Einstein, qui similitudinem energiæ et materiæ demonstravit, divulgat celeberrimam formulam $E=mc^2$ (E = energia, m = massa, c = lucis celeritas).

Inventa Maximiliani Planck et Alberti Einstein, etsi non directe spectant ad astronomiam, tamen multum mutant Universi notionem.

Victor Hess, physicus Austrius Americanusque, aliud inventum magni momenti anno 1912 facit. Cum iam in atmosphæra detectus sit fluxus particularum (inter quas præsertim nuclei atomici) sed nemo sciat unde oriatur, Hess folles mittit in atmosphæram instrumenta vehentes, quibus hic fluxus metitur diversis altitudinibus. Hac experientia monstrat particulas a Terra non oriri, cum fluxus crescat cum altitudine, neque a Sole, cum fluxus fere idem maneat diu noctuque. Inde colligit hunc particularum fluxum originem habere extra systema solare, quare ei nomen dat «radii cosmici».

Arthurus Stanley Eddington, astrophysicus Anglus, mittitur in insulam *Sao Tome et Principe*, in sinu Guineæ sitam, ut totam Solis defectionem die 29 mensis Maii a. 1919 ibi habendam observet. Hac enim sola condicione aliqua stella a Sole proxima observari potest. Ibi monstrare valet lucem huius stellæ paululum deflecti massa Solis propter effectum gravitationis,

qua observatione comprobatur theoria Relativitatis.

Ille vir etiam est unus ex astrophysicæ conditoribus; hæc nova astronomiæ provincia spectat ad stellarum compositionem chemicam, densitatem, temperaturam claritatemque.

Primus Heber Doust, Americanus astronomus, putat nebulosas spirales, quarum magna copia iam detecta est, alias galaxias esse extra nostram sitas.


Edwin Powell Hubble, Americanus astronomus, laborat in observatorio montis Wilson, ubi, cum advenit, perficitur telescopium speculo (nunc ex vitro) præditum, cuius diameter est 250 centimetra; maximum est tunc temporis. Hoc instrumento utens, annis 1923-24 demonstrat nebulosas spirales esse galaxias longe a galaxia nostra sitas.

Idem aliam rem inexpectatam anno 1929 comperit. Animadvertit enim galaxiarum spectrum eo magis ad rubrum deviari, quo longinquiores sunt; hoc imputat «effectui de Doppler» vocato, qui in undis sonoris facile demonstratur (1842); eundem enim sonum non percipimus a tramine sibilanti, cum ad nos appropinquat ac cum a nobis discedit; longitudo ergo undarum sonorarum mutatur motu corporis sonum emittentis. Hubble idem cogitat de undis lucis et putat spectri deviationem ad rubrum pendere a motu discedenti galaxiarum. Quod confirmare videtur hypothesis expansionis Universi, quam Alexander Friedmann, mathematicus physicusque Russus, iam anno 1922 proposuit; ille enim putat Universum esse in mutatione; asperam rixam habet cum Alberto Einstein, qui putat Universum esse stativum.

Iam numerabantur octo Solis planetæ: Mercurius, Venus, Terra, Mars, Iuppiter, Saturnus, Uranus et Neptunus, cum anno 1930 Clyde Tombaugh, Americanus astronomus in observatorio 'Lowell' laborans, nonum planetam invenit, cui nomen datur «Pluto». Cum parvus sit, nondum observatus est; sola photographia detegi potest; in imaginibus nonnullis interpositis diebus factis, apparet inter immobiles stellas minimum corpus loco motum: necessarie versatur in ipso systemate solari, ergo est planeta.

Georgius Lemaître, Belga, est vir singularis; non solum est clarus mathematicus astronomusque, sed etiam catholicus sacerdos. Studia perficit in præstantibus institutis Americanis, ut «Massachusetts Institute of Technology», ac complures claros doctos convenit inter quos Hubble et postea Einstein.

Anno 1927, opera Alexandri Friedmann ignorans, divulgat in *Annales de la Société scientifique de Bruxelles* symbolam cui titulus est «Un univers de masse constante et de rayon croissant» (*Universus*



Pluto nunc non iam habetur ut planeta (www.cnes.fr)

homogeneous, cuius massa est constans et radius crescens). Nitens galaxiarum distantis ab Eduino Hubble inventis et celeritate earum discessus a Vesto Slipher, Americano astronomo, computata, primus definit constantem rationem inter distantiam et celeritatem. Hæc ratio vocatur «constans Eduini Hubble», quia Hubble idem paulo post divulgat, sed Anglice.

Cum Universus videatur expandi, Lemaître proponit «theoriam atomi primitivi». Hanc theoriam Fredericus Hoyle, Anglus astronomus et cosmologus, in emissione televisifica anno 1949 facta per iocum vocat «Big Bang», quod nomen nunc communiter adhibetur; Hoyle enim pro certo habebat Universum esse stativum.

Georgius Lemaître etiam suspicatur in radiis cosmicis inveniri posse vestigium initii Universi. Hoc confirmatur anno 1965, uno anno ante eius obitum, cum duo ingeniarii laboratorum Bell, Arno Penzias et Robertus Wilson, in radiis cosmicis fortuito detegunt microundas «cosmologicas» eo dictas, quod, uniformes in omnibus directionibus, ad totum cosmum pertinent; apparuit eas nihil aliud esse quam tenue testimonium nascentis Universi.

Ab anno 1933 Georgius Lemaître elaborat exemplum Universi non homogenei, quo explicetur galaxiarum formatio; id postea vocabitur «exemplum Lemaître-Tolman». Incumbit etiam in radiationem cosmicam explorandam, scite utens novis electronicis instrumentis computatoriis.

Statum scientificum et ecclesiasticum inter se conciliare facile non est. Anno 1951 papa Pius XII in allocutione «Un'ora» autumat Deum demonstrari posse scientiis modernis, cum secundum recentem theoriam Universus creatus sit ex nihilo. Georgius Lemaître, quamquam eius nomen non citatur, iratus est; putat enim Dei relationem ad mundum demonstrari non posse scientia; duas vias mente separat, alteram ad Naturæ cognitionem ducentem, alteram ad veritatem theologicam. Potius loquitur de «Deo abscondito», ut quoque autumabat propheta Isaias: «Vere tu es Deus absconditus». ³ Etiam Genesin interpretatur symbolice.

Ea non impediunt quin papa Iohannes XXIII eundem anno 1960 nomet Prælatum domesticum et præsidem Pontificiæ Scientiarum Academiæ.

Novum inexpectatumque inventum: Robertus Iulius Trumpler, Helvetius astronomus, qui studia in Germania fecit et postea in Americam migravit, ubi in Californiæ universitate laboravit, clarus fit, quia anno 1930 inter galaxias detegit «nubes interstellares», i.e. materias non formatas in corpora.

Iterum aliquid inexpectatum evenit: Carolus Guthe Janski, Americanus physicus, laborat pro laboratorii Bell; quæ, cum communicationes instituere cupiant trans oceanum Atlanticum brevibus undis (i.e. longitudine 10-20 metrorum), eum rogant ut investiget undas parasiticas, quæ communicationes perturbare possint. Idoneam antenam exstruit ac post nonnullos menses observationum comperit proximos brevium undarum fontes oriri e procellis; sed longinquoeres etiam reperit originis ignotæ. Post amplius unum

annum observationum demonstrat et anno 1933 divulgat hanc emissionem oriri e Via Lactea et præcipue ex eius centro. Sic initium facit novæ astronomiæ provinciæ, quæ vocatur «radioastronomia».

Grote Reber, ingeniarius radiocosmologista, campum observationum Caroli Jansky anno 1937 extendit, primum fabricans «radiotelescopium». ☞

-
1. C. du Fresne Sieur du Cange, *Glossarium mediæ et infimæ Latinitatis*, 1883, VIII p. 212: turfa, Fr. *tourbe*, Angl. *peat*, Th. *Torf*.
 2. G. Licoppe & F. Deraedt, *Calepinus Novus*, Bruxellis, Maison d'Érasme & Melissa, 2002: admiralis: *amiral* (ex Arabico *amir* = imperator).
 3. Is 45,15.



*Radiotelescopium a Grote Reber confectum
re vera iam non habet assuetum telescopii aspectum (Wikipedia)*

DE NOVIS LIBRIS

Otfried PREUßLER, *De raptore Hotzenplotzio*, in Latinum convertit Nikolaus GROß, Senden, Leo Latinus, 2013, 135 p. ISBN 978-3-938905-33-3

Calamitas! Aviæ nova molinula cafearia sublata est! Quod quidem horribile facinus commisit famosus terribilisque raptor Hotzenplotzius! Deficiente custodia publica, Casparulus et Iosephulus furem constituunt ipsi deprehendere. Hæc fabula laureata, in Germania notissima atque etiam arti cinematicæ aptata, iam translata erat in 34 linguas; ecce autem nunc tricesima quinta translatio, eademque Latina. Quam præter paucissima paragrammata Nicolaus Groß, ut est mos eius, Latina veste induit tam docte quam lepide. Sub finem libelli etiam proponitur index recentiorum et rariorum vocabulorum. Bone lector, etiam si puer non iam es, hanc fabulam miris facinoribus plenam suspensus leges usque ad exitum (necessario) felicem, quo Casparulo et Iosephulo tandem aliquando comedere licet placentam pruneam cramo battuto aspersam!

Amas, *Laudo gratiam Domini*, 2012, discus compactus

‘Amas’ est grex trium musicarum, Helenæ Kärnä, Lauræ Iso-Metsälä et Elinæ Koskela, quæ traditam colunt musicam popularem (*folk*, quæ dicitur), modo proprio et libero. Nomine huius gregis Latino, ‘Amas (me)’, declaratur fides divinæ misericordiæ habita. Hic discus Latinus earum est primus. In quo libere interpretatæ sunt musicam compositam a Konsta Jylhä (1910-1984), claro violinista necnon primo qui traditam Finno-Scandinavicam musicam valuit extra patriam commendare. Qui compositor, vir sincere pius, melodiis suis notam dare volebat religiosam. Et verum est hanc musicam aliquid habere sacri: tam dulcis est et spiritalis, naturæ proxima. Textus Latinos conscripsit Samius Jansson Melissæ lectoribus bene notus.

(helena.karna@gmail.com)

Circulus Latine legendi in Germania

In urbe Hamm semel in mense congregari solet circulus Latine legendi: aliquo enim Veneris die vespere proponuntur textus Latini varii generis una legendi, explicandi et commentandi. Si quis plura scire cupit, scribat ad moderatricem Rainildem Aschoff: raschoff@arcor.de



In hoc fasciculo !

XXX annis ante nascebatur circulus Latinus Belgicus [G. Licoppe] p. 1

De conventu Academiae Latinitati fovendae [F. Deraedt] p. 2

Levia quoque Latine celebrari oportere:

de quodam certamine Latino in laudem vini [I. Marcellino] p. 4

Oceanus [D. Blanchard] p. 5

In hoc signo vinces [G. Licoppe] p. 8

De immenso caelo (VIII) [G. Licoppe] p. 12

Bibliotheca Latina p. 16

Imago tegumenti: conventus Vindobonensis, anno 1815:

Metternich Belgicam matrimonio coniungit cum Batavia (gryllus, anonymus, Wikipedia).

INSTITVTIO LINGVÆ LATINÆ

in museo Domus Erasmianæ a Melissa præbetur omni Martis die ab hora
18 ad horam 19.30. Lectiones incohantur mense Octobri.

Si quis plura scire cupit : tel. + 32 (0) 475.47.55.18, g.licoppe@skynet.be



MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$

BNP Paribas Fortis : 001-6287115-39

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539

